

Fama Altorphina,

auctore

ANDR. DINNERO JC.

Anno Domini

MDCXVI.

*Ch. Fr. Bachm.
mitte Hochst.*

ab i

XXVI.
uoq, propria q
em in Vafalla
per traditione
transfert.
XXVII.
traditionis
horitas & jus
fessionem &
rt in donatar
donatary nec

FIN



Fama Alcorphina

Historia

ANDR. PINNARO JC.

anno Domini

MDCXVI

Handwritten notes or signatures at the bottom of the page.



ANDREAS DINNERUS

JC. JACOBO SCHOPPERO

DOCTORI THEOLOGO, ET ACAD.

ALTORPHINÆ RECTORI &c.

S. P. D.



Um ante paucos dies, post susceptum Acad. hujus Reſtoratum, quem tibi & Acad. iſti fauſtum atq; ſalutarem precor, conſilii capiendi cauſa ad me acceſſiſſes: meminiſti nos variis de rebus, tam ad uniuerſam Acad. quam ad te priuatim ſpectantibus ſermocinatos eſſe: qua poſtea abrupto colloquio, ut ſcripto conſignarem, & publici juris facerem, auctor mihi atq; ſuaſor fuiſti. Quamvis autem tacito natura ſenſu à conſilio ſcribendi, vulgandiq; qualiacunq; mea typis alienior ſim atq; timidior, aliorum exemplo doctus, quam ſit hoc noſtris temporibus miſeris & exulceratis periculoſum, & ὡς εὐποροῦ διαβολῶν παντοίων ἢ κακία: ut eſt apud E. v. agr. nescio tamen, quomodo ad morem nunc tibi gerendum

A 2 pro-

procliviorē me causā nonnulla reddiderunt:
inter quas præcipua fuerunt, ut & culta inter
nos per annos decem amicitia testimonium ali-
quod extaret, & ut ad par utriusq; nostrum stu-
dium in honore Acad. vindicando fuisse appa-
reat. Quorum posterius in tanto fallendi &
dissimulandi certamine mihi non honestum mo-
dò, sed propter fatalem huius seculi morbum,
suscipiendi dico quidvis de quo vis Improbiter,
etiam necessarium propemodum iudicavi.

Principiò igitur fortunatum prædicabas de-
cessorem tuum in munere rectorali, qui eodem
tempore & molestissimis laboribus defunctus es-
set, & magnâ cum laude suâ magistratum depo-
sisset. Mirari quoq; te dicebas, quod is qui Phi-
losophiæ studiis à puero deditus, in dicendi verò
artibus, aliisq; scientiis ita versatus est, ut in-
videri ipsi possit, animo simul ea complecti potuis-
set, quæ ad regendam universitatem, & defini-
enda negotia tam varia tamq; subita, omnes ne-
cessaria esse perspiciunt. Vt enim contra vulgi
votum, quo honorem omnes gerere volunt,
magi-

magistratum nemo, idem simul & honorem
 modestè delibaret, & labores illi admixtos viri-
 liter exhauriret, sapientia & Eloquentia studiis
 haud dubiè consecutus erat. Contra tamen So-
 crates, vir supra hominum conditionem & for-
 tis & sapiens, cum tueri personam in simili scenâ
 desperaret, ab omni munerum publicorū admi-
 nistratione penitè abstinuit, & virium diffi-
 dentia demonii sui auctoritatem prætexit, cu-
 jus, ut scimus, vis omnis in interdicens &^a ^a Plato in
 prohibendo, nulla, in jubendo fuit. At si^b sapi-^b apolog.
 entia (ut ait ille) gubernator navim torquet, Socratis,
 non valentia: quis Socrati conferri potest, qui & Phædro
 oraculi voce hominum omnium sapientissimus & Theag.
 judicatus est? quem ob id Rectoratu bis gesto in apolog.
 decessore tuo victum superatumq; esse consensie-^b Socratica.
 bamus. Illud quoq; quod vel maximè ad officio.
 um magistratus Christiani pertinet, minimè
 dissimulandum putavimus, quod, cum hostis ge-
 neris humani per agrum Domini & Christi
 ejus Zizania non nominanda & detestanda hæ-
 resis in partibus quibusdam Europa sparsisset,
 A 3 & ex

Et ex seminario illo planta quaedam furtim in
fundum nostrum translata dicerentur: Exre-
ctor ille noster ad extirpandas eas operam fundi
dominis tempestivè commodasset: Cumq̄, serius
à peritis agricolis agnita illa fuissent, Et pericu-
lum esset, ne propter sinistros rumores sparsos,
quasi ager totus vitium contraxisset, ejus preti-
um minueretur: cum Famâ ipsâ (at quali quã-
toq̄, portento?) lento quasi duello congredi non
dubitaverit, quòd nisi illâ extinctâ, jus suum do-
minis fundi salvum esse non posse pleriq̄, existi-
marent. Quod te cogitantem, Et in qua tem-
pora magistratus iste tuus incidisset, exactius
pensitantem, mirificè animo commoveri dice-
bas, nec tantùm conterreri mendaci infamiâ
istâ, sed Et istud vehementer pertimescere, ne ca-
lamitas ista in tempus cultura tua, anteriorisq̄
coloni præcipuè reservata, Et ad funestandam
eam cœlitùs quasi demissa esset. Solent enim de-
prehensi in difficultatibus homines sæpè etiam
fortuita ad causam trahere, Et tuta omnia ti-
mere, præcipuè cùm quid sit timendum, non con-
stat.

stat. Quo metu cum liberare te jam tum para-
rem, & totus in eo essem, turbellæ quadam ex
transverso incurrentes, teq; disceptatore & ar-
bitro componendæ officium istud mihi, unaq;
præsenti amtuam inviderunt: itaq; discessum
est, ut scribendi laborem istum mihi imponeres.

Quod igitur ad metum istum tuum attinet,
eum non utilem modò Academia, sed etiam cum
inclyto Magistratu nostro ac reliquis Collegis
tuis Clarissimis Viris, deniq; cum optimo quoq;
& amantissimo Acad. hujus communem tibi
fuisse scimus: quorum nemo est, quin beluæ istius
πολύσους dispendia & damna cognita habeat, Fa-
mamq; sinistram expugnasse majoris operæ pu-
tet, quam aprum Erymantheum, aut Nemea-
um Leonem conficere, aut aves stymphalidas
pellere, aut Cerberum capere, aut hydræ capita
secare: quibus facinoribus fabulosus Hercules
olim sese extulit.

Felices, quorū pestem DEUS ædibus istam
Arcuit, ut nequeāt furiale noscere Erinny!

Aëra

Aëra non habitat, nec aquosa sedemorat,;
Non humiles dignata casas, terrasvé jacēteis;
Illi sola domus gratissima Principis Auris,
Hâc se jactat, & innocuos jaculatur ab arce.

Tam benè inexplicitos eadem scit necte-
re nodos

Sphinx, quibus est semel hæc calidum mo-
lita periculum,

Ut licet ambages miseri dissolvere tentent,
Cuncta tamē nequeant vestigia tollere nodi.

Nec enim facere possum, quin versiculos istos, quos ante annos aliquot in beluam hanc contor- si, hoc loco recolam, & adscribam. Illud planè malum, quod ad plures proserpit, eo quod unū occupat: illud item, quod subitis auctibus ad perniciem adolescit, eo quod sensim & cum ra- tione quasi maturescit, periculosius esse omnibus in confesso est. Jam verò non tela rudis colorem nunquam mutandum avidius imbibit: non te- sta recens ex liquore olido celerius odorem con- cipit: nec vapor pestilens aëri commixtus vio- lentiùs animantibus sese infert, uti celerrimè

Fama

Fama sequior hominum animis, per innumeros
linguarum & aurium traduces, non sine suavi-
tate aliqua se insinuat, & posteritati quoque pro-
pagat. Quod autem infamia ista detecta Impie-
tatis & errorum, vel in administratione tuâ, de-
cessorisque tui, vel in ipsâ Academia herere non
possit, non foret mihi difficile ostendere, nisi hujus
rei rationes multò tibi quàm mihi notiores esse
scirem. E multis tamen unum subijciam, quod
vel maximè ad Academiam pertinet. Fac se-
men furtivum in viri optimi fundum conjectum
pullulasse, quid hic tellus, quid, inquam, tellus ju-
stissima peccavit, quæ gremio illud suo suscepit?
quid humor & calor, quibus obstetricantibus in
lumen germen editum est? quid Sol & aura, quæ
in spem frugis culmos fragiles educarunt atque fir-
marunt? Deinde illud quoque non gravatè mi-
hi largieris, ad rectam colendi agri rationem,
non terram tantum bonam, & coloni periti in-
dustriam requiri, sed vel in primis ut semina ipsa
frugi sint. πονηριῶν γὰρ ἀνεργαίων πονηρὴ τὴ γυνεργία αὐτὸ S.
Nazianz. h. e. Quia nequam seminis cultura
B quogue

^c
In Nati-
vit. Chri-
sti, non
longè ab
initio.

^d
Ex Dion.
Halicar.
lib. 2. an-
tiquit.
Rom.

quoq; infelix futura est. Qualiscunq; igitur co-
lonus, qualiscunq; ἀγῶν ἔμισκον (cujusmodi
olim pagis agrisq; colendis à Numâ rege prepo-
sitos ^d discimus) contigerit: semper tamen

Virgil.

l. Georg.

subit aspera sylva,
Lappæq; tribuliq; interq; nitentia culta
Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.
Quid enim hîc colono imputari potest? An
quia fraus ἔ dolus vendentis semen malum
obscura sunt, ideò deceptum condemnari oportet?
Audio, inquis, sed peccare me dicis, qui tan-
quam de agello Titii aut plantis agatur, hæte-
nus verba fecerim. Enimverò Academia existima-
tionem hîc versari, quæ Urbis filia nobilis,
non ita pridem Phœbo pulchrior, & sorore
Phœbi plerisq; visa sit: nunc verò reatu servu-
lorum ac fugitivorum quorundam dejecta ac
consternata periclitetur, ne tota familia festina-
to præjudicio falsarum religionum condemne-
tur, atq; adeò ipsa quoq; captâ ex vitæ societate
criminis fide, affinis maleficio judicetur. Ei ve-
rò dum oratione frigidâ ac brutâ opem ferre

coner,

coner, eorum me superstitionem imitari, qui Lu-
na laboranti aris sono atq; tinnitu auxilium fer-
re se posse putabant. Quod enim in Luna defe-
ctu Telluris umbram esse constat, id in Acade-
miâ nostrâ Fama sequioris maculas esse, quibus
ne deformetur, verborum sono atq; numero præ-
stari non posse. Equidem sicut vera ista esse
concedo, & mala plerunq; remediis fortiora esse
non inficior: ita vel in primis, quæ causa sit tam
sinistri rumoris & iudicii, investigandum, nec
aliter de remedio liquere posse arbitror. Idem
opinor, faciendum censes, si aqua canalis, qui
prius copiosè & purè profluebat, vel defecisset,
vel aquas turbidas veheret: dispiciendum enim
& noscendum ante omnia putares, an in venis,
an verò in capite tale quid esset, an deniq; in me-
dio itinere aliquid irrepisset. Causam autem
hanc præcipuam esse animadverto, odium ini-
micorum, reliquorum verò invidiam. Cùm
enim Acad. ista fortunata multis videretur,
cùm aliis de causis, tum quòd doctores tales ab
ipsis primordiis (præfiscini dico) sortita esset, qui

famâ & nominis sui celebritate totius Europæ
 viros doctissimos provocare potuissent, idq; ipsi
 inimici ac malevoli confiterentur: simile quid-
 dam dominis & colonis ejus evenit, quod C. Fu-
 rio Cresinio, qui cùm in parvo admodum agello
 largiores multò fructus perciperet, quàm ex am-
 plissimis vicinitas (verba sunt Plinii) in ma-
 gna invidia erat, ceu fruges alienas pelliceret
 veneficiis: donec die dicta à Sp. Albino, produ-
 ctis in conspectum civium veneficiis, id est, fa-
 miliâ atq; operis suis, suspicione se liberavit, o-
 mniumq; sententiis absolutus est. Eodem ex fon-
 te invidia & malevolentia crimen pravarum
 de DEO opinionum in Acad. istam derivatum
 est: cujus vel solo nomine audito collectam per
 tot annos bonam existimationem Academia su-
 bitò corrumpi posse malevoli sperabant. Argu-
 mentum Achilléum affertur, quod adolescentes
 aliquot morati apud nos fuerint, qui religionis
 improbatæ ergò coivisse, & sacra privata præ-
 ter leges habuisse dicantur. Magnum utiq; cri-
 men, nec leviter transmittendum! sed quid hoc
 ad

e
 lib. xviii.
 cap. vi.

f
 l. i. §. i. ff.
 de colleg.
 & corp.
 junct. l. 2.
 ff. de ex-
 traord.
 crim. l. 9.
 C. de SS.
 Eccles. l. 5.
 C. de hæ-
 retic.

*ad Academiam pertinet? Annon, Marone
testante, in agro alieno*

————— * sæpè exiguus mus

Sub terris posuitq; domos, atq; horrea fecit,
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ,
Inventusq; cavis bufo, & quæ plurima tellus
Monstra fovet? —————

*
I. Georg.

*An propterea fundus pro derelicto haben-
dus, aut quasi ob crimen domini publicandus
erit? An alia causa est Academia, in qua igno-
rantibus dominis mures, talpa, & bufones isti
cavernis latibulisq; suis tuti atq; tecti aliquan-
tisper stabulati sunt, donec suo indicio forex unus
atq; alter se atq; socios prodidit? sed non hoc
tantum, verum & aliud præcipue criminantur,
quòd literarum & Philosophia cognitione eos-
dem instruxerit Academia, quâ tamen non nisi
pessimè, & ad oppugnandam veritatem usuri
sint. Sed cur non & hoc accusant, quòd iisdem
etiam elementa pietatis & Religionis Christia-
na, id est, arma talia Academia contulit, quæ
nisi prius abjecissent, invictâ firmitate eos con-*

tra hareses & errores omnes tueri potuissent.
Nulla videlicet res est tam exquisita bonitatis
tamq̄, innoxia, quin aliquã obesse possit, prout eã
quis usus fuerit, & plerunq̄, quarũ rerum in vitã
hominum plurimus est usus, earundem etiam
abusus & corruptela plurima reperiuntur. In
quam sententiam præclare S. ^g Augustinus in
epistolis: Absit (inquit) ut ea quæ propter bo-
num ac licitum facimus, si quid per hæc præ-
ter nostram voluntatem cuiquam mali acci-
derit, nobis imputetur. Alioqui nec ferra-
menta domestica & agrestia sunt habenda, ne
quis eis vel se vel alterum interimat; nec ar-
bor aut restis, ne quis se inde suspendat; nec
fenestra facienda est, ne per hanc se quisquã
præcipitet: & paulò post: Quid enim est in
usu hominum bono ac licito, unde non pos-
sit etiam pernicies irrogari? Hactenus Augu-
stinus. Sed quorsum, dices, hæc omnia pertinent?
Eò nimirum, ut ostendam, Infamiam falsam sæ-
pè etiam innocentibus, inimicorum & invidio-
rum artibus irrogari, idq̄, in presenti negotio
Acade-

Relatus à
Gratiano
in Decre-
to, Can.
De occi-
dendis.
23. q. 5.

Academia nostra, ejusq; civibus evenisse. Quod
 qui temerè & absq; DEI permissione fieri existi-
 mant, Ne illos in maximâ rerum ignoratione
 versari oportet. Solet nimirum benignissimus
 ille Pater hâc ratione intra modestiæ fines conti-
 nere eos, qui alioquin bona mansuræq; fama præ-
 sumptione facile efferrî, & contemnere aliorum
 obscuritatem poterant, eoq; tandem homines
 adducere, ut laudem & honorem non secus ac
 Contemptum & infamiam à Domino esse agno-
 scant. Sic Divus Apostolus^h Paulus gentium
 doctor per gloriam & ignominiam, per infami-
 am & bonam famam præconium Evangelii sui
 currere testatur. Quod explicansⁱ Gregorius
 Magnus: Ne qua elatio de laude surrepat
 (inquit) permittit omnipotens DEUS malos
 in obtrectationem & objurgationem pro-
 rumpere; ut si qua culpa ab ore laudantium
 nascitur, ab ore vituperantium suffocetur.
 Sed benè res habet. Pudorem nostrum suffundere,
 non etiam iram super nos effundere clementissi-
 mus pater voluit, remediumq; mali in malo ipso
 maxi-

^h
 2. Corint.
 6. vers. 8.

ⁱ
 Relatus à
 Gratian.
 in Can.
 Sunt plu-
 rimi. 6.
 q. 1.

maximum inesse ostendit. Qui enim sunt isti, propter quos tam malè audit Academia? An non adolescentes sunt, quorum ante viginti annos nemo natum se scivit? Quos igitur nemo profana alicujus sententiæ auctores laudare dignaretur, eos sibi quisquam ad novum, & post mille ducentos annos inauditum dogma duces eliget? Quos orto inter vicinos jurgio, nemo arbitros propter ætatis defectum accipere auderet, eorum circa tremenda Religionis nostræ mysteria definitiones ratas quisquam putabit? Nondum, nondum tam malè cum Germaniâ ejusq; Ecclesiis agitur, ut de Religione ephæbis istis credere, vel eorum auctoritate permoveri oporteat: quos absq; alienâ auctoritate & consensu Curatorum vix civile ullum negocium gerere leges permittunt: Nondum sic desipimus, ut post asellum, quod dicitur, diaria sumamus, & fastiditâ auctoritate tot clarorum atq; præstantium patriæ nostræ Theologorum, mysteorum horum, novatorum acumen admiremur! qui cum illis collati, fontes ac nebulae sunt aquâ carentes: nebulae

Petron.
Arb.

nebulæ à turbine agitatae sunt, quibus caligo
tenebrarum in æternum seruata est, ut cum
k scripturâ loquar. Vita sanctimoniam jactant:
sed conscientiam carent, spei nostræ ac Fidei præ-
varicatores certissimi. A vitiis intacti sunt:
sed ambitioni turpissimè seruiunt: Veritatem
vestigiiis omnibus unicè sectantur: sed pro regu-
lâ dissimulationem & deceptionem habent. Heu
scelus & seculi nostri stupendum dedecus! Vix
sinit me gravitas rei ad fabulas poëticas desle-
ctere: Si quis tamen & hisce locus est in hoc ar-
gumento, Narcisso formosissimo juvenum per-
similes hos esse juvenes quis dixerit. Amabant
illum Nympha, quamdiu singulo sibi placere non
optavit. Fugerunt eundem Nympha, quam-
primùm in fonte se conspicatus suam solius for-
mam adorare, seq̃ solum admirari & amare
cœpit. Eodem namq̃ modo Mens bona & Sa-
pientia Narcissis istis ab initio adsistere, eosq̃
complecti & amare visa sunt. Qui simulac in
fonte ambitionis se conspicati, nemini cedere,
nullius auctoritatem revereri, ipsi sibi exempla

k
2. Petri 2.
vers. 17.
Epistol.
Iudæ cap.
1. vers. 10.

C &

Et per hoc rebus in omnibus esse ; opinionisq; pro-
pria amore velut ebrii per scientias non intelle-
ctas liberius bacchari ceperunt : puella tam san-
cta alienissimo tempore piaculares adolescentes
destituerunt, eorumq; conditione amplius uti se
nolle, palam, ut videmus, profitentur. Non po-
test profecto sapientia illuc accedere, ubi aditum
opinio praecipitavit ; nec magis doctrinam sa-
nam, aut Magistratus imperia, aut consilia re-
cta capessere turgidus fastu animus, quam qui
manum occupatam habet, quam nec apprehende-
re quicquam praeterea, nec tenere, vel stringere
possit. Praeterea, cum non adulescentes tantum
ejusmodi sint, propter quos maria Tyria nunc
concitatur, ut in proverbio est : sed numero ad-
modum pauci : (Vix enim duo vel tres sunt, qui
hucusq; in errore damnabili perstiterunt, ex qui-
bus unus ad socios se dignos extra S. R. Imperii
limites jampridem abiit, exilio et infamia ob
transfugium istud mulctatus) equumne est, ut
Corpus totum Academicum propterea infame-
tur ? Quis jus istud introduxit, quaeve hunc
tam

tam barbara morem Permittit patria? Nihil-
né Universitati Iuris regula & leges civiles
proderunt, quibus singuli ab iniuriâ & maleficio
defenduntur, & quas tanto cum studio Viri sum-
mi in eâ interpretati sunt? Lex¹ civilis est, ut au-
ctores suos pœna teneat, noxa caput non egredi-
atur, ratione istâ naturali confirmata, quia
iniquum sit quenquam alieno odio pragravari.
Quod cum in tantum valere sapientissimi ho-
mines voluerint, ut satius esse dicerent etiam no-
centem absolvere, quàm innocentem condem-
nare: Videant hereticometra isti, qui unâ de-
cempedâ omnes Altorphii commorantes tam
exactè metiuntur, nulloq; discrimine Tros Ru-
tulûsve fuit, veneno sectario afflatus & infe-
ctos traducunt, quantum à regulâ istâ justi &
aqui discesserint. Quanto rectius juris nostri in-
terpretes, qui crimen Universitatis & Collegii
frustra accusari tradunt, nisi vel aris campani
sono, vel clangore Tyrrheno, vel vexillo levato,
convocatis omnibus & consentientibus delibe-
ratum prius crimen perfectum^m fuerit. Quan-

I
l. 27. C. de
pœn. l. 20.
& l. ult.
denox.
act.
l. 33. § ult.
C. de in-
off. rest.
l. 5. ff. de
pœn.

m
In-quam
rem LVIII
doctorû
auctori-
tatem ci-
tat Jac.
Menoch.
de arb.
jud. quæst.
cent. 6.
cas. 598.
nu. 4. &
nu. 9.

ⁿ
cap. Ro-
man. De
sent. ex-
com. lib.
vi. De-
cretal.

^o
Auth. Ha-
bita C. ne
fil. pro
Patre.

tò etiam cautiùs Innocentius IV. PP. qui eos
duntaxat ex Collegio vel Vniuersitate, quos cul-
pabiles esse constiterit, fulminari iubet: in ipsam
autem Vniuersitatem vel Collegium anathe-
matis sententiam proferri districtèⁿ prohibet,
causa addita, quòd alioquin etiam innoxios
huiusmodi sententia irretiri contingeret. Enim-
verò, si tanquàm indictis & promulgatis Repre-
saliis, quas vocant, in nos grassari, & pauco-
rum ob noxam & furias, etiam innocentes quos-
libet apprehendere & pignerari jus fasq; cre-
dunt: id tamen præter alia adhuc ignorare se
declarant, quòd artium bonarum & scientia-
rum studiosos, eorumq; doctores fortissimus
Imperator^o nobilissimâ & notissimâ constitutio-
ne à pignerationum violentiâ jam olim tutos
prestitit. Verùm longè præsentius & præstan-
tius remedium nobis pollicetur sollicitudo & pru-
dentia Nobilissimi Collegii Dominorum Scho-
larcharum & Curatorum Academiae huius.
Qui cum injuriam, quâ immerens filia ipsorum
affecta est, ad se pertinere judicarent, eamq;
quod

quod etiam privatis parentibus jura civilia
 concedunt, vindicare constituissent: ante o-
 mnia tamen illis ambitione mentibus ado-
 lescentum remedium adhibere, eaq; ratione
 errorem pullulantem in herbâ, quod dicitur,
 opprimere laborarunt. Ita nimirum cum
 fascinatis istis agi debuit: ἔχ' ὡς τίνες λέγουσιν, ἐνδύσας,
 ἐκδύσας. Verba sunt B.^p Macarii. Neq; enim
vestis instar Religio subito vel sumitur aut po-
nitur: Et esse Mentem humanam paulatim
 ad veritatis cognitionem traducendam, iidem
 vel ex^q Platone ejusq; specu subterraneo didi-
 cerant, ex quo educti in apertam lucem, qui an-
 tea vix tenuem luminis stricturam admitte-
 bant, agerrimè Solem intueri possunt; ubi verò
 paulatim assueverunt, admodum deplorant,
 miseriam eorum, qui in subterraneis illis locis
 vitam degunt. Mirantur omnes Legis Ro-
 manæ providentiam, quæ navigantibus ali-
 cubi ita prospexit. Ne piscatores (inquit^r
 Ulpianus) nocte lumine ostenso fallant na-
 vigantes, quasi in portum aliquem delatu-

p
 Homil.
 xv.

q
 lib. vii.
 de Re-
 publ.

r
 l. 10. ff. de
 incéd. ru-
 in. naufr.

Apho-
risma.

ri, eoq; modo in periculum naves, & qui in
eis sunt, deducant, sibiq; execrandam præ-
dam parent: præsidis provinciæ religiosa
constantia efficiat. Non minori vel stu-
dio vel circumspeditione sapientissimus Magi-
stratus noster usus est, qui ne incauta juven-
tus ad ignes hos fatuos, ad scopulos sophisma-
tum & errorum deinceps delata naufragium
salutis æternæ faceret, gravissimo Edicto pro-
posito, præscriptaq; à se normâ alumnis suis se-
verè cavuit, eaq; velut face ostensâ iter aperuit
errantibus. Navigationis porrò cursum nau-
ta in tenebris acus beneficio dirigunt, qua ma-
gnetis tactu vim istam mirabilem percipit, ut
motu suo rectâ in mundi polum feratur, in
eoq; solo fixa maneat: Cumq; innumera in
cælo & sidera & loca sint, iis omnibus postha-
bitis in mundi axe conquiescat.

Magistratus noster inclytus, cum Verita-
tem & Simpliciter Verbi cælestis id esse in
Eccle-

Ecclesiâ sciret, quod Stella polaris aut Cynosura in cælo est, eò subditos suos vocare, nocte & tempestate seculi hujus ingruente, muneris sui credidit. Fbi namq; nox metuenda, ubi immani mortalium scelere imminuto Verbi divini lumine, Opinionum umbra crescunt & multiplicantur. Fbi tempestatis futura prasagia certissima, ubi heresum fluctus intumescentes Ecclesiâ minantur. Fbi nox noctibus omnibus nigrior, in quâ lumen illud de lumine, in quâ lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, obscurari incipit. Fbi tempestas quâvis tempestate tetrior, ubi Sacro silente Flamine, blasphemiarum & errorum venti inter se praliantur. Tametsi & aliis rebus plurimis iidem prudentissimi Domini Scholarchæ palàm mundo fecerunt, se non aliarum rerum, quàm retinendâ in Ecclesiis & Scholis Veritatis Evangelicæ esse studiosiores. Ut enim rescripta eorundem innumera taceam, quibus superiori Reçtoratu heresis diabolica
ferè

ferè jugulata est : Quale nuper spectaculum
forum Opidi nostri praeiuit, cum iisdem man-
dantibus & adstantibus, magnà Nobilissimo-
rum & doctissimorum hominum cateruâ sti-
pante, majori hospitum & peregrinorum cir-
cumfusâ multitudine, ipso die Academ. hujus
natali, & pracone ex Curia superindicente
pseudotheologorum istorum libri concremati
sunt? Cujus incendii Hammam quidam tam
altè ascendisse affirmabat, ut ex ipsa Sarma-
tia atq; Belgio conspici potuerit.

Quae cum ita sint, spesq; maxima omnes
foveat, fore, ut agro nunc perpurgato, plan-
tisq; noxiis eradicatis, forma & fama pri-
stina fundo Academico redeat : quid est, cur
rumoribus sinistris de nobis sparsis magnope-
rè commoveamur, aut Academ. quasi famâ
diminuta fatum deploremus? quid etiam est,
Magnifice Domine Rector, cur magistratui
isti tuo notam aliquam iniustam esse arbitre-
ris? Sicut enim, cum lychni complures eodem
in

in conclavi lucent, umbra rerum languent,
expallescent & attenuantur: ita ubi Verbi
divini jubar diffusissimo lumine radians,
ubi Christiani magistratus illustris splendor,
& in defendendâ Veritate Zelus: Vbi Eccle-
siarum & Theologorum clarissimus consen-
sus errorum umbras oppugnant, eas rarefce-
re & cum pedissequa suâ Famâ tandem eva-
nescere, tristemq; subire sub Orcum necesse
est.

Et hac sunt, Mag. Domine Rector, qui-
bus metum tuum, vel ipsius potius Famâ
mendacia convincere cogitabam. Quæ si
non omninò improbari tibi intelligam, ma-
gnum opera pretium fecisse me arbitrabor.
Scio domi meliora tibi suppetere, & ad con-
futandos rumusculos istos efficaciora, nec mo-
nitore aliquo te in rebus istis opus habere.

Patiuntur tamen summi gubernatores in
tempestate se quandoq; etiam à vectoribus
admoneri, nec arrogantiam eam, sed peri-

D culi

culi societatem interpretantur. Quod ut tu
quoque facias, & affectum hunc meum erga
te Academiamque cura tua commissam boni
consulas, vehementer rogo. B. V. &
DEO adjuvante benè rem
gere.

FINIS.

